VITAS PATRUM

12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ululans mater. et quasi inter tria filiorum discurrens cada
uera. quem primum plangeret nesciebat. Agnito autem quod
esset quidam monachus in uicina solitudine. oblita ma
tronalis pompe. tantum se matrem nouerat. uadit comitata
cum ancillulis et eunuchis. uixque ei a uiro suasum est.
ut asello sedens pergeret. Ad quem cum peruenisset ait.
Ego te per ihesum christum clementissimum dominum nostrum obtestor. per
crucem eius et sanguinem. ut reddas mihi tres filios. ut glori
ficetur in urbe gentilium nomen domini saluatoris. et ingredi
atur seruus dei gazam. et marnas corruat. Renuen
te illo. et dicente numquam se egressurum de cellula. nec
habere consuetudinem. ut non modo ciuitates. sed ne uillam qui
dem ingrederetur. prostrauit se humo crebro clamitans.
Hilarion serue christi redde mihi libros meos. quos anto
nius tenuit in egipto. atque seruentur in siria. Flebant
cuncti qui aderant. sed et ipse negans flebat. Quid multa.
Non prius mulier recessit. quam ille polliceretur esse se post solis
occasum gazam introiturum. Quo postquam uenit. singulorum
lectulos. et ardentia membra considerans. inuocauit
ihesum. Et o mira uirtus. quasi de tribus fontibus sudor pariter
erupit. Eadem hora acceperunt cibos. lugentemque ma
trem cognoscentes. benedicentes dominum. sancti manus deoscu
lati sunt. Quod postquam auditum est. et longe lateque percrebruit.
certatim ad eum de siria confluebant. ita ut multi christi
ani fierent. et se monachos profiterentur. Nec dum enim erant
monasteria tunc in palestina. nec quisquam monachum
ante sanctum hylarionem in siria nouerat. Ille fundator et
eruditor huius conuersationis. et studii in hac prouincia
fuit. Habebat dominus ihesus in egipto senem antonium. in pa
lestina hilarionem iuniorem. Facidia uiculus est rinoco